

CAPUT XXIX. TOTA SPES IN MISERICORDIA DEI.

Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da, quod jubes, et jube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et, cum scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur, et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris, caritas, Deus meus, accende me! Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube, quod vis.

CAPUT XXX. DE PERVERSIS SOMNIORUM IMAGINIBUS, QUAS PETIT AUFERRI.

Jubes certe, ut contineam a concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitione saeculi. Jussisti a concubitu; et de ipso conjugio melius aliquid, quam concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, et ante quam dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc vivunt in memoria mea (de qua multa locutus sum) talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; et occursant mihi vigilantique quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilantique vera non possunt. Numquid tunc ego non sum, Domine Deus meus? Et tamen tantum interest inter me ipsum et me ipsum intra momentum, quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo. Ubi est tunc ratio, quae talibus suggestionibus resistit vigilans? Et si res ipsae ingerantur, inconcussus maneo. Numquid clauditur cum oculis? Numquid sopitur cum sensibus corporis? Et undé saepe etiam in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissime permanentes, nullum talibus illecebris adhibe-